

Emendationum Lucilianarum dodecas.

Luciani Muelleri ingenio laetissimo debemus quod Lucilii reliquias iam fere sine offensione legere licet. equidem autem nolo illius editionem hic iustis efferre laudibus, ne summo quo teneor praeceptoris optimi amore disertior fuisse censear. cum autem unius hominis non sit tot tantaque quae frustula illa contraxerunt menda aequabili felicitate tollere, 'reliquit' vir egregius posteris criticis 'e segete ad spicilegium stipulam'. placuit igitur ex eis quas iterata Lucilii lectione certa ratione fecisse mihi sum visus coniecturis eligere duodecim quas in medium proferrem.

I. A re parva incipiam. in deorum concilio nescioquis haec verba facit [I fr. 9 L. M.]:

nemo ut sit nostrum quin aut pater optimu divom
aut Neptunu pater, Liber, Saturnu pater, Mars,
Ianu, Qurinu pater siet ac dicatur ad unum.

ita rescripsit L. Muellerus, cum codices Lactantii 'uti nemo sit (siet)' tradant. duplex mutatio vitabitur, si inserueris ante 'nemo' voculam omissu facillimam 'ñc':

uti *nunc*

nemo sit nostrum quin aut pater optimu divom.

praeterea suspicor pro 'nostrum' Lucilio restituendum esse 'vostrum', ut haec verba a Minerva se ceterasque deas minore, maiore honore deos coli indigne ferente sint dicta.

II. Lib. II fr. 2:

non dico. vivat licet et vagus exulet, erret | exlex.
neque 'non' vocabulum sat placet, pro quo Muellerus [comm. p. 199] 'nunc' commendavit, neque id quod in libris legitur 'vincat' probabiliter in 'vivat' mutatum est. unica lineola addita verum evadet hoc 'nondicōvincat', id est: 'non, *di*, convincat, licet et vagus exulet, erret exlex'.

III. Lib. VI fr. 20:

hac tu ab re credis quemquam latrina petisse?
codicum memoriam hanc 'hoc tu apte' nulla fere mutatione corrigo ita 'noctu apte credis quemquam latrina petisse?' illud autem 'apte' valet 'convenienter'.

IV. De lena quadam haec lib. VII fr. 5 extant:

aetatem et faciem ut saga et bona conciliatrix.
non puto Nonium vel potius eum, unde ille sua duxit, omisisse huius enuntiati verbum. itaque inter 'conciliatrix' et 'Turpilius' (hoc enim vocabulum apud Nonium sequitur) 'rimatur' ('riatur' inseruerim. — de eadem lena quae leguntur fr. 7 ita scribo: 'primum facie quod honestae *et annis* accedit.'

V. Lib. XXVIII fr. 46:

tantae se emporiis merces et faenera tollent.
praebent codices 'tanti se temporis montes et faetera tollent'. et 'emporiis' quidem egregie emendavit Palmerius; cetera ingeniose, ut solet, vix tamen recte resarciebat L. Muellerus. nam facillimo negotio redditur Lucilio:

Anti se emporiis montes eis aethera tollent.
cave autem illud 'Anti', id est 'Antii', locativum esse statuas; cf. Buechelerus, lat. Deklin. p. 61. quin ne litterulam vel unam prorsus abiciamus, apud Nonium p. 407, 2 ita restituemus: 'Lucilius lib. XXVIII Anti' eqs. simillimo autem mendo laborat libri VII fragmentum 16 'ferai ad catulos accedere inultum', ubi 'ferai' iusto audacius scripsit L. Muellerus pro tradito 'rate'. legendum est apud Nonium p. 457, 17 'idem lib. VI: iratae ad catulos accedere inultum'. nil enim in tanta fragmentorum paucitate valet quod nunc quidem in sexto libro eius rei non extat vestigium. — ceterum in fragmento superiore iam aute me Vahlenum 'eis aetera' rescripsisse nunc ex Quicheratii adnotatione video. — 'montes', scilicet mercium. — eis (*εἰς*) ut I 44 anti (*ἀντι*).

VI. Lib. XXVIII fr. 35:

caede ostium, Gnato! urgent, instant! periimus.
dubium mihi non est quin scriptura codicum Nonianorum p. 272 'urgere istam' ex illa quam eidem p. 417 exhibent 'urge restant' leniter sit corrupta; de illo 'istam' cf. Lachmannus ad Lucr. p. 252. scripsit, ni vehementer fallor, Lucilius:

caede ostium, Gnato, urge! — *restat*. — periimus.
statuendum est enim diverbium: monuerat aliquis ingruentibus

inimicis quam celerrime effringere fores, respondit alter restare eas. — vocem 'restat' librarii cuiusdam stultitia plurali sequenti adsimilavit.

VII. Vxorum amores damnosos tractant eiusdem libri fragmenta 83 et 84, quorum prius ita redintegrandum est:

quae et poscent minus et praebebunt rectiu multo
et sine flagitio.

meretriculas enim, non catamitos, prae nuptis commendari propterea existimo quod in eadem re multus est Horatius. codicum autem

lectio 'quiete' ita est explicanda 'quiet'. — porro fragmentum 84 sic se habet in libris mss.: 'nunc tu contravenis vel qui in nuptiis velse seneces te nec sine permitiae'. quibus verbis nuptas tangi ita in aperto est ut ab hac observatione omnis emendatio progredi debeat. fuisse puto in archetypo haec: 'nunc tu croua
^{uel}uenis quur in nuptis isulse neces rē nec sine permitie', unde fit:

nunc tu
probra velis? quur in nuptis, insulse, neces rem,
nec sine permitie?

'neces rem', ut alii auctores latini 'conficere rem'. neque vero sollicitandum illud 'nunc'. praecedebat enim sine dubio commemoratio poenarum quae manerent adulteros.

VIII. Libri XXX fr. 30 adscribam emendatum:

quor tua *plus* laudes, culpes? non proficis hilum?

libri 'quod tua' tradunt illudque 'plus' omittunt. recte utique me supplevisse docebit te perpetuus Lucilii imitator Horatius [sat. I 1, 53]: 'cur tua plus laudes cumeris granaria nostris'. — erat cum pro 'culpes' conicerem 'cui rest?'

IX. Ibid. fr. 32:

et male dicendo in vulgi sermonibus differs.

ita L. Muellerus: 'in multis sermonibus' codd. praebent. emenda 'inmundis sermonibus'; cf. Horat. ep. II 3, 247 'aut imunda crepent ignominiosaque dicta'.

X. Amantium altercationem lepidam habes ibid. fr. 51 et 52. sed adulescentis stuprum puellae minitantis verba duce Nonio p. 401 in hanc formam restituas:

en (vel a!) ego te *uacuum* atque animosam,

Thessalam ut indomitam, frenis subigam ante domemque! traditur 'an ego te *acuum*', a quo id quod Turnebus reposuit 'an equam te *acrem*' plus nimio recedit. nam illud 'subigam ante' sat. defenditur puellae responsi verbis his 'tune iugo iungas me ante', quae sine iusta causa a L. Muellero mutata esse existimo.

XI. Ibid. fr. 67:

quae non spectandi studio sed ab omni taetri
impulsu ingressast.

nescio quid hic sibi velit taetrum illud prodigium. ingressa est volpes speluncam, ubi cubabat leo aegrotus, ventri essurienti pabulum nacturam se sperans. traditum est in codicibus: 'studio se ab ('ad' Leid. 1 man. 1) hominis taetri'. restituo:

quae, non spectandi studiosa, abdomini' taetri
impulsu ingressast.

iam 'taetri' recte a Nonio explicatur 'improbi', id est, voracis.

XII. Ibid. fr. 54:

aut cum iter est aliquo et causam commenta viai
bito apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.

bene Lipsius 'viai' elicuit ex librorum scriptura 'commenta viaut
apud': perficienda est emendatio scribendo 'commenta viai *it* apud
aurificem'; de forma contracta cf. L. Muellerus d. r. m. 399. —
eodem mendo 'ii' in 'u' coaluit in fragmento 82 eiusdem libri:
'deblaterant. blennus bonu rusticu concinit una'. sensit L. Muel-
lerus, vitium inesse versui, quod sic facillime tolli posse aio unam
vocolam in duas 'blenni is' dirimendo:

deblaterant blenni; his bonu rusticu concinit una.

Scrpsi Jenae.

A e m i l i u s B a e h r e n s.